



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

23. Tria V. cavenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Dura Fabri duros Febris depascitur artus,

Et victrix plusquam ferrea sternit humi.

In Deitate magis Personas suspice: dices

His tribus in summo robur inesse gradu.

SYMBOLUM 23.

*Tria V. quæ cavenda. A tribus abstinendum juxta Anachar-
sis Philosophi sententiam, scilicet: Verbis, Venere, Ventre.*

Tres metuas hostes, Linguam, cum Cypride, Venere,

Est totidem frenis hæc superanda trias.

Quæ venit in venas, Venerem (a) jejunia frangant

Gratus eris, Ventris sobrietate, Deo.

Indomitam frenent servata silentia Linguam,

Laxatam in Triadis quam decet esse decus.

[a] Triplex est jejunium Ecclesia: quatuor temporum, vigiliarum, quadragesimale: quia sicut sub ternario peccamus videl. in Patre per impotentiam, in Fil. per insipientiam, & Spiritum S. per malitiam; corde, ore, opere, contra legem natura, Scriptura, gratia, originaliter, venialiter & mortaliter. & ista sunt serpens, mulier, vir, id est, concupiscentia suggerens, sensualitas delectans, comedens &c. ratio consentiens. Ita quoque sub ternario contra jejunamus. Sic pie & doctè noster P. Pincharius ornatissimus anima lib. 1. c. 8.

SYMBOLUM 24.

Tres aves uno telo transfixæ a Godef. Bullionio Duce.

STrennuus, augurio Triadis, Bullionius, arces

Dum longâ Solymas obsidione premit,

Tres memorant uno fixisse per aëra telo,

Quas modò Dux gestat stirpe perennis, aves.

Christigenis tales animos (a) Heroibus, oro,

Suffice pro verâ Relligione, Trias.

[a] Ioannes Austriacus invictus Turcarum victor, in suis signis militaribus Crucem cum hac tessera gerebat: In hoc signo vici Turcos, in hoc signo vincam hæreticos. Gen ebr. lib. Chronol. in fine.

SYM